

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0123

0121

0127

0117

0132

0112

0172

0072

0222

0022

0622

112

honoratus archiepiscopatus, cui S. Sylvanus praeerat, ut dicit Cyrillus de miraculis S. Jeronymi ad August.

Vicesima quinta die, quae est S. Jacobi Apostoli, antequam sol oriretur, surrexerunt fratres montis Syon, et acceptis de sacristia paramentis exierunt conventum, et ego cum eis, ad ecclesiam S. Jacobi, pro Officiis ibi celebrandis. De illa ecclesia dictum est fol. 103. B. Cum autem ad ecclesiam venissemus et fratres intrare permissi, ego veloci cursu ad hospitium peregrinorum processi, et pulsans lapide ostium eos excitavi ad Officium, cum quibus in ecclesiam praedictam reascendi. Cantavimus ergo in capella decollationis S. Jacobi Officium solenne et Missas successive in eodem altari celebravimus et ad loca nostra reversi sumus et in eis nos illa die continuimus, quia erat sexta feria, quae semper Sarracenis solemnis, sicut nobis dies dominica, nec patiuntur nos diebus, quibus ipsi celebrant, evagari per civitatem.

Vicesima sexta, quae est festum S. Annae, matris beatissimae Virginis, mane surreximus et ad ecclesiam, ubi locus est domus S. Annae, in qua genuit Dei genitricem, transivimus et inhabitantes locum rogavimus, ut nos intrmitterent sed nequaquam adquiescere volebant. Prae foribus ergo oravimus sanctam Annam et filiam ejus honoravimus. De hac ecclesia dictum est fol. 140 A. et locus describitur fol. 229 A. Ab illa ergo ecclesia discessimus et per portam S. Stephani exivimus et in vallem Josaphat descendimus, ut in ecclesia Assumptionis beatae Virginis divina celebraremus. Sed cum ad ecclesiam venissemus, clausa erat, nec ingredi poteramus. Ideo dimisso loco ascendimus in specum orationis et agonizationis Christi et ibi altari parato divina celebravimus, quod tamen prius numquam visum fuerat, quod Latini in hoc celebrarent. De illo loco habes fol. 144 A. Et post Missas alia loca sancta (**B**) montis Oliveti transivimus, et cum ad ecclesiam Ascensionis Domini venissemus, quidam Sarracenus obstitit nec in ecclesiam voluit nos ingredi, nisi daremus pecunias. Cui minati sumus, quod vellemus conqueri de eo domino Naydan, praefecto Jerusalem, sed non curavit verba nostra, et itareversi sumus ad prandium in montem Syon.

1122

Ende

Anfang